

discedo, nec volo typos Patrum evertere, sed postulo, ne illa jura evertantur. Inter Actoris itaque, & Rei instantias petunt Judices, ut Patres decernant an juxta leges, vel juxta Canones, lis dirimenda esset. Monent quidem, quod prius dixerat Photius Principis sententiam esse, quæ Canonibus faveat; at quid inde? pietatem Augusti commendant, non definiendi potestatem circumscribunt in Patribus, Excipiente Reo, & contradicente Actore de articulo incidente, decernere debebant Patres. Judices insinuant, de quo ante omnia sententia ferri debebat. Nec id est definire, veniã datã, aliã & veniã datã, quod præcipuè agebatur, definitum quis credat, cum Judices iidem dixerint act. 5. Dioscorus dicebat, quod ex duabus naturis est suspicio, duas non suspicio; Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo, duas naturas dicit esse in Christo unitas inconfuse, inconvertibiliter, & indivisibiliter in uno Unigenito Filio Salvatore nostro. Quem igitur sequimini? Sanctissimum Leonem, aut Dioscorum? Planè cum nimis Lyncei videri amamus, cæcutimus.

XXI. Ipse autem ejusdem Concilii Canon 28. quod agimus præclare demonstrat, Augustos videlicet minime sensitse sui juris esse Episcoporum jurisdictionem decernere. Constantinopolitana Synodus can. 3. ejusdem Urbis Episcopo decreverat τὴν πρεσβυτερίαν τῆς αὐτῆς, hinc prædicto Canone id ita intellectum est, ut voluerint Constantinopolitanum, secundum à Romano Patriarcha locum tenere. De prioris Synodi Canone immeritò dubitari à Bino, & à doctissimo Baronio, cum de eo testetur Canon Chalcedonensis, observavit Holstenius in notis ad Concilium Romanum Bonifacii Papæ II. Quod enim verò minores Episcopi sibi vindicaverant ex Urbium splendore, id sibi asserendum censuit novæ Romæ Episcopus. Constantinopolis Augustorum Sedes, ad quam ex toto Orbe causæ deferrebantur. Urbis ejus Episcopus ad Patriarcham Occidentis minime spectabat, sed nec ad Alexandrinum, vel Antiochenum, quare nullo modo Patriarchale Romani Episcopi jus lædebat. Gloriam Constantinopolitanæ Ecclesiæ optavere Valentianus, & Marcianus Augusti. Vide tamen qua via pergant. Nil sibi juris in ea re decernenda competere existimant; sed nec Concilii decretum sufficere, nisi Leonis consensus accederet. Id constat ex eorundem literis ad Magnum Leonem datis, ad annum 451. spectantibus, relatisque in laudato Romano Bonifacii Concilio. Perentes ut Constantinopolitanus Episcopus, secundum à Romano Patriarcha habeatur, id imperiali auctoritate fieri non posse cognoscunt, proferuntque utriusque Oecumenicæ Synodi decreta, quibus petitionem suam fulciunt, orantque emixe, ut quod decretum fuerat, Romanus Pontifex confirmet. Quoniam verò, inquit, & hoc statutum est, ut ea, quæ centum quinquaginta Sanctissimi Episcopi sub D. Theodosio Majore de honore venerabilis Ecclesiæ Constantinopolitanæ statuerunt, & quæ nunc à S. Synodo de eadem re statuta sunt, firma servantur: scilicet ut post Sedem Apostolicam Constantinopolitanæ Sedes Antistes secundum obtineat locum, quoniam & eadem splendidissima Civitas junior Roma nuncupatur, dignetur Sanctitas Tua, etiam huic parti, proprium adhibere consensum. Restitit enim verò Leo Sanctissimus Veteris Romæ Episcopus, & piissimi Augusti, qui suæ potestatis fines optimè noverant, ita à capitis destitit, ut Anatolius Constantinopolitanus Episcopus factum in Chalcedonensi Synodo sibi minime imputandum scripserit Leoni, sed Ecclesiæ suæ

A Clero. Quod itaque Valentianus sibi minime licere censuit extra Romani Patriarchatus fines, etiam si de Constantinopolitana Sede ageretur, & licet id ipsum per Oecumenicam Synodum decretum fuisset; fecisse intra Romani Patriarchæ ditionem Ecclesiasticam, immo intra Romani Metropolitanæ Diocesim, & ita duplici ex capite jus Sacrosanctum Romane Sedis violasse, id enim verò ab omni credibilitate distat.

XXII. Ut nil omittamus, quo cognoscamus eorum temporum opinionem circa ea, quæ spectant ad potestatem conferendi jus Metropolitanum, dissimulari haud potest, aliquando irrepisse, & in Occidentali Ecclesia, Orientalis abusus. Unum tamen ejus rei exemplum habemus, sed & novimus novæ Metropolis constituendæ ex civilis Urbis gloria rationem minime Pontifici Romano probatam. Trabebat ad se Arelatenfis Præsul Ordinationes Episcopum Provincia Viennensis eo prætextu, ut creditur, quod aucta decore ob Principum moram Arelatenfis Urbis, Metropolis effecta sit, qualis erui posse existimat Petrus de Marca, seu Baluzius, ex Honorii Constitutione relata à Sirmondo in notis ad Sidonium. Ei opinioni, quod Metropolitanum Civilem Episcopi Metropolitanorum Ecclesiasticorum juribus gauderent, insitit Taurinensis Synodus anni 397. at dubitavit quoniam Metropolis esset Civilis, Arelatum videlicet, an Vienna, & decrevit, ut qui ex eis, Episcopis videlicet, approbaverit suam Civitatem esse Metropolitanam, is totius Provinciae honorem primatus obtineat. Verum aliã viã, ut quod semel arripuerat retineret, Patroclus Arelatenfis existimavit sibi perendum, cum apud Romanum Pontificem, cui nil de Civitatis gloria tuto dici posse noverat, causam egit, ac ideo solius antiquitatis Ecclesiasticæ momento se tueri voluit, ob quam à Zosimo Pontifice obtinuit, sibi consecrationem confirmari Episcoporum Provinciarum Viennensis, & Narbonensis.

Quoniam, inquit Pontifex epist. 70. Trophimus Sacerdos quondam Arelatenfis Urbis ab Apostolica Sede transfusus ad illas regiones, tanti nominis reverentias primus exhibuit. Regulis ejusdem insistentium Pontifices subsequenti censuere, cum de eadem re quæstiones incidissent. Hilarius Papa circa annum 462. Episcopis diversarum Provinciarum Gallie rescriptis epist. 8. cum Leontius Arelatenfis lamentaretur Parochias suæ Ecclesiæ à Prædecessore Hilario in alios, quod non licuerat, fuisse translatas, Episcopis illi querelam remittens, ut quæ Ecclesiasticis regulis congruerent, decernerentur. Epistola verò sequenti contra Mamertum Viennensem, qui inadbitè Deensem Episcopum ordinaverat, disertè asserit, principes approbare, quod Romanus Pontifex in rebus hujusmodi decrevisset. Fratri enim nostro Leontio, inquit Pontifex, nihil constituti à sanctæ memoriæ Decessore meo potuit abrogari, nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri, quia Christianorum quoque Principum lege decretum est, ut quidquid Ecclesiæ, eorumque Rectoribus pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipsius observantiã disciplinæ in auferendis confusionibus Apostolicæ Sedis Antistes suo pronunciasset examine, veneranter accipi, tenaciterque servari cum suis plebibus, caritas vestra cognosceret.

XXIII. Quæ omnia sufficienter ostendunt opinionem, quæ Valentiano imperante obtinebat in Occidentali certè, sed etiam in Orientali Ecclesia non modo apud Episcopos, sed & apud Principes, & Valentianum ipsum, eam fuisse, quæ crederent, potestatis Ecclesiasticæ, non verò Augustalis esse, jura Metropolitanorum immutare, novos Metropolitanos